



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 76. Sententia Facultatis Theologicæ a Canonicis Ecclesiæ B.V. ob Papæ censuras rogata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

se, ut tam pio operi adjutrices manus Sæcul. XV.  
A.C. 1500.  
porrigerent. His propositis Oratorum  
nonnemo respondit, quod pacanda prius  
essent Christianorum Principum dissidia,  
ac demum composita stabili, ac solida in-  
ter eos pace ad reprimendos Turcarum  
progressus opera impendi posset: his sub-  
iunxit alius, quod hoc bellum nonnisi pri-  
vatam Venetorum causam respiceret, &  
Papa arma sollicitaret, ut Venetis place-  
ret. Alexander, hæc responsa quid por-  
tenderent, facile mente sua assequeba-  
tur, cumque ceteri Principes Pontificiis  
legatis, qui ad eos decernebantur, vix  
non eadem respondissent, belli sacri con-  
silia evanuerent.

## §. LXXVI.

*Sententia Facultatis Theologicæ a  
Canonicis Ecclesiæ B. V. ob  
Papæ censuras ro-  
gata.*

Præterea Pontifex hujus belli obtentu  
edictum publicabat, quo Ecclesiæ  
Gallicanæ Clericis, iis prius inconsultis,  
decimas imponebat, mox vero adversus  
hanc Papæ Constitutionem Universitas  
Parisiensis ad futurum Concilium provo-  
cabat: Cum autem Alexander fretus  
esset præsidio Cardinalis de Ambasia,  
*Hist. Ecclesiast. Tom. XXXI. X plu-*



Sæcul. XV.  
A C. 1500. plurimumque aliorum Præfulum, quibus apud Regem non infima erat auctoritas, in reluctantes legum severitate animadvertere se posse arbitrabatur: quapropter Universitatis appellationem floccipendens, tributa, quæ imperabat, exigere aggreditur, lata etiam in refractarios anathematis poena. In hac rerum vicissitudine Parisiensis Ecclesiæ Canonici quicquam adversus Canones attentare veriti, quid de sacris hisce pœnis sentiendum esset, Theologicæ Facultatis suffragia expetunt. Hæc pro more in Mathurinorum conventu congregata, discussis propositionibus sibi exhibitis respondit, eo tenore, quo proxime loco suo relaturi sumus.

## §. LXXVII.

*Anglicæ Rex a Papa ad expeditionem Turcicam sollicitatus.*

Spretis hisce Gallorum obstaculis, summus Pontifex a pristino studio, quo Oratorum suorum opera ceteros Principes ad sacram militiam incitabat, nihil omnino remisit, nam Casparum Ponsnatione Hispanum, unacum Anni sancti diplomate in Angliam ablegat, dato negotio, ut Henrico VII. significaret, Papam nil